BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

An revocata SS. D. Benedicti XIIJ. Constitutione, quæ incipit Creditæ nobis, permitti, approbari, et Constitui in ditione Sedis Apostolicæ Ludus, qui communiter dicitur l'Otto di Genova, di Napoli, e Milano possit, et expediat

1. Ut meam circa quæstionem istam, in qua satis dubietatis, difficultatisque inest, sententiam proponam, præmittenda quædam, ex quibus lucidior, et clarior fiet ad quæstionem responsio. Hoc primò apud plurimos theologos certissimum est, quod ludus ex fortuna dependens ex se neque est intrinsecè bonus, nec intrinsecè malus. sed secundum finis, circunstantiarumque qualitatem potest bene, maleque fieri, cum sit contractus quidam fortunæ, quo uterque periculo lucri, et iacturæ expositus est. Hinc nullo jure prohibitus legitur. Non opponitur juri naturali; nihil enim tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi, ut dicitur lib. 2. Instit. de rerum divis. tit. 1. §. 40. Unde solum ex forma est quædam pactio; do, ut des; nempe meam pecuniam periculo expono, ut tu exponas tuam; tantique æstimatur periculum unius quanti æstimatur periculum alterius: quare uterque liberè, et spontè dat pro spe, si sibi sors caderet. Quod egregiè dixit Silvius 2.2. q. 95. art. 8. in fin: his benè servatis unusquisque præmium sibi obveniens etiam per unicam sortem iustè accipit, quantumvis magnum: sicut et altera pars iustè retinet sortes eorum, quibus nihil obtingit. Quia tale est pactum inter sortientes, et eos qui præmia proponunt, ut unusquisque auferat quod ei per sortem obtigerit, et sit contentus nihil pro sua pecunia auferre, si sors nihil dederit.

2. Non similiter jure divino reprobatur forma talis contractus, ex quo rem sorti committit, cum Scriptura usum sortium auctoritate sua firmet Levit. Cap. 16. v. 8. et 1. Reg. Cap. 10. v. 20. et Cap. 14. v. 41. et 42. et 1. Paralip. Cap. 24. v. 5. et cap. 25. v. 8. et Cap. 26. v. 13. ex quo sane dixit S. Augustinus in Psal. 30. enarrat. 3. n. 13. in Can. Sors 1. 26. q. 1: Sors . . . non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem, nam et sortes miserunt Apostoli. Quod pluribus firmat D. Thomas Opusc. 25. dicens: similiter etiam sortis necessitas imminet, si aliquid dandum occurrat pluribus, quod non nisi uni eorum dari possit. Unde Augustinus dicit in 1. de doctrina Christiana

sibi tibi abundaret aliquid quod oportet dari ei qui non haberet, nec duobus dari potuisset, si tibi duo occurrerent, quorum neuter alium, vel indigentia, vel egestate aliqua, vel necessitate superaret, nihil iustius faceres, quam ut sorte legeres cui dandum esset, quod dari utrique non posset. Non ergo jure divino ludus ille, qui à Theologis sors divisoria dicitur, reprobatur; et cum alias nulla lege civili interdictus sit, nihil apparet, unde ludus iste ex genere suo mortali charactere denotandus sit.

3. At cum actiones morales ex pluribus contingentibus æstimandæ sunt, sunt et in hoc ludo multa consideranda, ut iustitia contractus, et perfectio illibata permaneat, ne si debitæ circumstantiæ non observentur, illicitus evadat; ut nempe ex parte merces pecuniariam habentis, collectorum, et receptorum omnis fraus absit, quasi alterari possent schædæ quibus fit sortitio, ne decipiantur sortientes existimantes per suam sortem se posse lucrari, sicut possunt perdere. Idemque dicendum ex parte ludentium, ne quis ex immoderatâ, et avidâ nimium lucrandi cupiditate moveatur, ratione cuius circumstantiæ peccatum mortale reperiri posse notavit S. Antoninus 2. p. tit. 1. Cap. 23. § 2. dicens: ludus est peccatum mortale, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet, principaliter motus ad acquirendum quid notabile per ludum, non ob recreationem. Quæ est doctrina Angelici Præceptoris 2. 2. q. 168. art. 3. in Corp: Alio autem modo potest esse excessus in ludo . . . et hoc quandoque potest esse peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cuius delectationem proponit aliquis dilectioni Dei; ita quod contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ talibus ludis uti non refugiat. Vel quia tali ludo temerè magnæ pecuniæ summæ exponuntur periculo, ex quo magnum ludenti incommodum, necnon toti familiæ rerum necessariarum penuria oritur. Vel quia multi ex ludentibus rem suam alienare non possunt, ut sunt Minores: et tunc est illicitum jure divino quod aliquis lucretur ab his qui rem suam alienare non possunt, ut scripsit D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. Vel quia in tali exercitio blasphematur Deus; ut dicit Imperator Iustinianus Lege Alearum Cod. de Religiosis, et sumptibus funerum lib. 1. tit. 22: quidam in alearum ludos . . . proprias substantias perdiderunt . . . consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare, idest, Deo maledicere conantur. Nec non observationes vanæ, illicitæ, et superstitiosæ adhibentur. Vel tandem, quia

alijs ex causis perniciosus Reipublicæ agnoscitur: sub quibus circumstantijs il-
lius usus illicitus redditur, et iustissimè àb Ecclesia prohibetur etiam sub pœna
excommunicationis majoris, quæ pœna eò magis pravis est necessaria, quia
cum sint voluptatibus, et proprijs desiderijs mancipati, contrarijs doloribus sunt
arcendi; et etiam hac pœnâ, qua in Ecclesia nulla major est, ut dicit S.
Augustinus lib. de Corrept. et grat. Cap. 15. cum aliter manu validissima
Ecclesiæ à statu miseriæ, et auaritiæ erui non possint: iuxta illud Concilij
Meldensis celebrati anno 845. in Can. Nemo 41. Caus. 11. q. 3. dicentis:
anathema est æternæ mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet in-
poni crimine, et illi qui aliter non potuerit corrigi.

2. Hoc, quod certissimum est, ad euidentiam ostenditur in Alearum ludo. Hic
ex genere suo, si pravis omnibus suis circunstantijs denudetur, non est, ut
tenent grauissimi Theologi, peccatum mortale, cum non sit ex genere suo
contra charitatem, aut contra iustitiam. At cum pluribus vitietur circun-
stantijs; tum quia turpis efficitur, ut concludit Eminentissimus Caietanus,
ex eo quod homo à rationis industria, qua pecunia comparanda est, et conser-
uanda se deijcit, et fortuito euentui conseruationem, perditionem, et acqui-
sitionem pecuniæ submittit. Tum quia dum ampla pecunia exponitur, vix
absque prauitate exerceri potest, absque litibus, periurijs, atque blasphemijs;
nam, ut dixit Horatius, ludus genuit strepitum, certamen, et iram; et in
nullo exercitio, teste S. Antoninus, ita frequenter blasphematur Deus, et
tota Curia Cælestis. Tum quia consideratur una omnium paratissima via
ad dilapidanda bona cum detrimento notabili filiorum, et uxoris, quibus
subtrahuntur alimenta debita. Hinc perniciosissimum Reipublicæ decla-
rauit illum Imperator Iustinianus decreto illo celeberrimo, authent. inter-
dicimus Cod. de Epis. et Cleric: Interdicimus sanctissimis Episcopis, et
Presbyteris, Diaconis, et Lectoribus, et omnibus alijs cujuslibet ordinis
venerabilis Collegij . . . . ad tabulas ludere, aut alijs ludentibus participes
esse, aut inspectores fieri . . . . Siquis autem ex his in hoc deliquerit, iubemus,
hunc tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, et in Monasterium redigi.
Quod etiam Clericis prohibitum legimus Can. Clerici de Vit. et honest. Cleric. Et

Sub pœna excommunicationis Can. Episcopus 1. dist. 35. his verbis: Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus qui vel Aleæ, vel Ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitor. Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector qui consimilia facit, vel desinito, vel à communione seiungitor. Similiter et Laicus. Quod decretum expendens S. Raymundus Lib. 2. tit. de negotijs secul. §. 11. Ex Canone Apostolorum colligitur, inquit, quod peccatum eorum qui Aleæ deseruiunt, sit mortale, et graue, cum tales pœnæ non sint imponendæ pro leui crimine. Quare à Sacro Concilio Tridentino renovatus est Canon ille Sess. 22. de Reformat. Cap. 1. de Vit. et honest. Cleric. his verbis: Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias à Summis Pontificibus, et à Sacris Concilijs, de Clericorum vita, et honestate... Aleis lusibus... copiosè, ac salubriter sancita fuerunt. Eadem in posterum ijsdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarij imponendis, obseruentur. Quæ prohibitio, ut obseruat Silvius, non cadit supra formam ludi; sed quia frequenter oriri solent ex eo ludo rixæ, lites, et blasphemiæ, quæ non sunt ludi vitia, sed personarum. Hinc licet exponere domum ad ludendum taxillis, chartaceis ex se non sit peccatum, propter peccata quæ à ludentibus, ut plurimum, et passim perpetrantur, id sine graui culpa fieri non posse declarant S. Bernardinus Senensis Serm. 33. in Dominica quarta quadragesimæ, et S. Carolus in illis monitis, et instructionibus, quas Confessarijs dedit Cap. 5. *

5. Hæc tam multis expresserim ad intellectum quæstionis; quia ludus iste, qui vulgo dicitur Lotto di Genova, Napoli, e Milano, in quo nihil [nihil recreationis] artis est, sed totum fortunæ; maximè parificari potest cum ludo Alearum; cum hoc nomine comprehendi possit. Etenim ludus Aleæ dicitur omnis ludus, qui innititur fortunæ principaliter, ut tenet S. Antoninus 2. p. tit. 1. Cap. 23. §. 1. dicens: Circa hoc Capitulum notandum primo, quod ludus Aleæ secundum Guillelmum intelligitur omnis ludus, qui innititur fortunæ. Et Silvester v. Ludus q. 5. Quod esse ex omnium mente ait Navarrus Cap. 20. n. 6. Quo supposito, probabilius mihi est; ludum istum ab intrinseco, et ex sua specie essentiali illicitum esse; primò quia deficit illi iustitia, et æquitas, [qua deficiente cæteri contractus illiciti redduntur,] dum ludentes non æquali sunt periculo expositi rem suam amittendi. Secundò quia ludentes non propter delectationem principaliter ludunt, cum in ludo isto nulla sit ludentis delectatio, nec pecuniam

* Quod et in casu simili prudentissime scripsit D. Thomas. 22 q. 169. art. 2 ad 4. Si tamen operibus alicuius artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de se non sint illicitæ, sunt tamen per officium Principis à Civitate extirpandæ, secundum documenta Platonis.

ideò quæ improprijssimè ludus dicitur; qui melius nuncupari posset, Desolatio, sive perditio. Hic ergo, cum ludus novus sit non expressè sub hoc nomine sacris Canonibus interdictus legitur. At

Quæ namque æqualitas, ubi certum moraliter est periculum perdendi, ubi [illegible] pecunia quæ luditur non correspondet toti pecuniæ quæ vincitur aut vinci potest? Ubi venditores seu exactores nominum nunquam adversâ fortunâ ludunt, tum quia primò rationes receptæ pecuniæ conficiunt, et nec adhuc totam ipsam periculo exponunt. Tum quia rationibus in ordinem confectis, sæpius multis fraudi [illegible] luant, aut se absolutos constituunt, ne extrahantur chirographa Beneficia, quæ sæpius dolosè contrahuntur et ad minorem numerum rediguntur; et interdum nomina non patentia et aperta rebus [illegible] et sic Luderis Ludet nominibus [illegible] alijs ipso invito, et solum Venditori gratissimis. = Secundò.

interponunt quasi Stimulum ad verè ludendum; Sed principaliter propter lucrum ludunt, in quo maxima Reperitur deformitas. Etenim licet ludens non peccet in eo, quod intendit ludum, tamen hoc ludo ludens peccat in modo, quia peruertit Ordinem Rerum, dum delectationem, et quandam animi quietem omittit, et lucrum principaliter quærit per ipsum; quod est Rerum moralium Ordinem invertere. Quare Eminentissimus Caietanus 2.2. q. 168. art. 3. egregiè dixit, quod qui ludunt principaliter propter lucrum, non dicuntur propriè ludere: quoniam finis ludi, quæ delectatio est, non mouet illos: Sed abusores sunt ludi ad turpe lucrum: negotiatoresque per ludum potius appellandi sunt. † Sed admisso, et non concesso, quod ex genere suo turpitudinem non habeat; nec enim necesse est, quod stemus illi rigidiori sententiæ, tamen impossibile moraliter est, quod hodie procedat seruatis debitis circumstantijs, quibus laudabiliter fieri potest. Tum quia ex sui forma est ludus iste compluribus fraudibus pervius, et dolis plenus. Tum quia si finem huius ludi prout in pluribus consideres, non est nisi lucrari, quod magnam præsefert turpitudinem; quoniam lucrari per se nihil necessarium, et honestum nominat. Tum quia in ludo isto admittuntur omnes utriusque sexus, cuiuscumque ætatis, et conditionis sint. Diuites bona maxima nefariè profundunt. Pauperes necessarium ancipiti fortunæ committunt. Filijfamilias furantur, et ludunt quod suum non est, seruientes etiam utriusque sexus res furto surreptas, aut alijs modis iniustis acquisitam pecuniam ludunt. Hinc non solum contra iustitiam, sed et damnosus efficitur Reipublicæ, cum occasione ludi ab statu extrahantur pecuniarum summæ magnæ. Eò vel maximè, quia ludus iste, nescio quo suo genio, præ cunctis alijs inextinguibilem lucri sitim generat. Insatiabilem facit animum, et in cuncta mortalium pectora sese insinuat, itaut auiditas animum obruens, in hoc baratro immergat omnes, meri gratiâ lucri, ut statim efficiantur diuites. Et tandem inest in hoc ludo peius aliud, ut verè sit tot superstitionum, vanarum obseruantiarum, iniquitatum, periuriorum, et blasphemiarum maledictus fons; Si namque optatis non respondet fortuna, tristitia, et desperatio generatur, Dei, et Sanctorum nomen impiè blasphematur; nec rarò ad fœdissima crimina præluditur,

† Sic merito clarissimi uiri ludum istum exprobrant. Ita Ciriacus Controuersia 22. n. 1, et 2. ‖ Suum huic sententiæ calculum præbet Ansaldus Decis. 95. n. 43. fol. 700: Quoties autem agatur de illo Locto, de illâ superfœtatione, quam diximus, sortis, seu fortunæ, quæ perperam practicatur, et si millies prohibita, et signanter Romæ, super sponsionibus, quæ fiunt à quibusdam ludentibus inter priuatas personas super fortuitis extractionibus Magistratuum illius, uel alterius Ciuitatis dubium cadere non potest, quin similis ludus seu Loctus, sit omnino illicitus, iniustus et iniquus. Idem firmat Turrecremata Can. Episcopus. Dist. 35 Non potest dici ludus licitus, sed reprobatus, ex quo plura crimina oriuntur (ut in proœmio ff. ueteris § illud uerò satis) sed ex ludo hujusmodi Alearum, et taxillorum oriuntur plurima mala: ergo sequitur quod talis ludus sit illicitus, et peccatum, cum causa cupiditatis sit. Quæ autem crimina oriantur ex hujusmodi ludo, Raimundus in Summa sua narrat: Primum est desiderium lucrandi, et ecce cupiditas, quæ est radix omnium malorum, ut dicitur 1. ad Timoth. 5. Secundum est Voluntas spoliandi proximum, ecce rapina. Tertium est usura, scilicet undecim pro duodecim, non solum in anno, uel mense, sed in eadem die. Extra de Excess. Prælat. Quartum est multiplicia mendacia, et uerba otiosa, et uana. Quintum Blasphemia. Ecce Hæresis. ✗ Sic et in lacrimas prodit semper Ludus iste, ex quo tot iurgia, tot Blasphemiæ, tot periuria, tot iniustitiæ, et familiarum damna proficiscuntur.

Ut probat experientia, quæ utinam comperta non esset. † Non enim valet imbecillitas humanæ conditionis, maxime in iracundis, et spiritu tristitiæ assuetis, dum fortunis locupletari intendit, moderate, et patienter adversa fortunâ uti. Quare effugendus, profligandusque est à Republica ludus iste, qui nec à Supremo Ecclesiæ Principe approbari valet, cui maxime incumbit, subditos delictis, et criminibus arcere, et damni spiritualis occasionem removere. Et de quo maxime verum, quod dixit Chrisostomus tom. 6 in Matth. Non dat Deus ludere, sed diabolus. Hinc meritissime prohibitus, et interdictus fuit ludus iste ab Innocentio XI. Innocentio XII. et Clemente XI. necnon à Benedicto XIII. sua constitutione Credita nobis ut publicam, privatamque perniciem quæ cum incredibili ludentium, eorumque familiarium, ac præcipue pauperum detrimento ex prædicto ludo provenire dignoscebatur, magis pullulantem, ac invalescentem in Ecclesiæ ditione averteret. Et quod gravissima excommunicationis pœna cohibere decrevit, propter inobedientiam legibus ecclesiasticis, et Summorum Pontificum decretis, necnon ludentium, ac receptorum temeritatem, contumaciam, ac impudentiam; post edictum emanatum die 2 Martii anno 1725 ab Ill.mo Urbis Gubernatore.

6. Nec me in contrarium movet quod ab aliis dicitur, ut ludum cohonestent; quod nempe circumstantiæ, quibus illicitus redditur, solum per accidens se habent respectu ludi formaliter sumpti, cum sint ludentium vitia. Non est, inquam, ratio me movet, uti profecto non movit laudatos Summos Pontifices. Etsi enim circumstantiæ per accidens se habeant ad ludum istum secundum se, et ex genere suo consideratum; per se tamen se habent ad individuationem actus, ex quo licet ludus secundum se videatur honestus, ut tamen apparet in executione sub illis circumstantiis pravis, non laudandus, et æmulandus, sed è medio tollendus. Cuius fundamentum est, quia prudentia, cum sit regula, et mensura honestatis moralis necessario attendit omnes circumstantias objecti eligibilis à voluntate; quomodo approbatio huius ludi potest esse bona moraliter, dum objectum præcisum sub his circumstantiis nequit esse honeste ab ipso Legislatore amabile? Dum ulterius objectum nec prudenter est eligibile ab illo; cum sit objectum repugnans prudentiæ ratione circumstantiarum, sub quibus est in re ponibile. Non enim prudentia, quæ est virtus practica,

† Quæ omnia damna scribit Ansaldus. Dictâ decis. 95. his verbis: Dixi illicitum, et iniustum, et iniquum, quia, si in primâ specie horum ludorum de quâ meminimus plura inconvenientia, et præiudicia publico bono adversantia enumerat Leobardus; quid dicendum de hâc secundâ specie, in quâ ultra inconvenientia, et præiudicia bursalia, non tantum ipsorum ludentium à sed ipsius Principatus, et Reipublicæ cum manifestâ inæqualitate eventus Aleæ, superaccedunt sequelæ antecedentiæ pessima, plerumque vel aliorum delictorum pro parandis pecuniis ad ludendum non existentibus in promptu, vel ad auspicandum ipsam sortem extractionis per malas artes, somnia, præstigiaret fermè sortilegia, ac incantationes?

et versatur circa Singularia Operabilia, respicit ludum secundum se, sed ipsum ut affectum omnibus circumstantiis; cum iudicium non attendens ad circumstantias Obiecti vt in re possibilis, non sit iudicium prudens potens regulare actum moraliter honestum, qualis debet esse approbatio à Summo Pontifice facienda, quæ tendit ad Obiectum debitis circumstantiis vestitum, et conforme regulis morum, cum sit regula æquitatis.

7 Secundum huius asserti argumentum desumitur ex Constitutione Benedicti PP. XIII. quæ incipit *Credita nobis* sub die 12. Augusti 1727. quod sane irrefragabile est. Dato namque creditis viris, quod aliquando permitti potuerit ludus iste, ut re vera permissus dicitur à Clemente X. et Innocentio XIII, vel quia quantacumque Summi Pontifices Sapientiâ vigeant, nulla tamen sufficit vt casus omnes occurrentes prospiciat; cum quotidie crescat, et amplificetur malitia ludentium, qui ad assequendum lucrum tot fraudibus, dolis, malis artibus vtuntur. Parit namque humana libido per temporum iniquitatem, parturitque in dies nouas fraudulentiæ formas, quibus contra jus, suam quisque explere desiderat insatiabilem avaritiam. Vel quia Summi Pontifices non tenentur omnia vitia prohibere à quibus virtuosi abstinent, iuxta mirabilem Angelici Præceptoris doctrinam 1. 2. q. 96. art. 2. in Corp. dicentis: *Lege humana non prohibentur omnia vitia à quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora, à quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere.* Cuius rationem reddit dicta 1. 2. q. 10. art. 11. in Corp. *Humanum regimen, inquit ille, derivatur à divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens, et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset; ne, eis sublatis, majora bona tollerentur: vel etiam pejora mala sequerentur.* Quare concludit: *Sic ergo, et in regimine humano illi qui præsunt, recte aliqua mala tolerant; ne aliqua bona impediantur; vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit in libro de ordine.*

8. At postquam Constitutione Apostolica ludus iste declaratus est mortiferus, iam citra scandalum, et illud gravissimum, in ditione Apostolica permitti, et approbari non potest. Primo, quia Diploma Summi Pontificis dogma-

ticum infallibilis et Veritatis Regula, ut Scripsit Innocentius I. ad Patres Carthaginenses Epistola 181. alias 91. quos sic alloquitur: non censetis esse calcanda, quæ illi, non humana, sed divina decreuere sententia. Et Zosimus Epistola 10. ad Aurelium: quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet . . . tantam enim huic Apostolo Petro Canonica antiquitas super sententias omnium voluit esse potentiam, et ipsa quoque Christi promissio, ut et ligata solueres, et soluta vinciret: ergo hoc Apostolico Oraculo omne tollitur dubium de iniustitia iudicij; cum munus instruendi Ecclesiam, et in causis ambiguis iudicandi privatiuum sit Summi Pontificis, ~~[illegible]~~ cœlitus, ne fallat, aut fallatur, illustratur. Ergo vel sustinenda Constitutio; vel concedendum, quod Summus Pontifex in throno iustitiæ sedens, et Apostolicæ Sedis auctoritate loquens, in doctrinis fidei ad morum pertinentibus declarandis, et diffiniendis non facit regulam, et iustitiam, quod nefas est dicere.

[Margin: cuius iudicium præferendum est opinioni quorumuis Theologorum: qui cum sit Iudicum maximus, et caput Ecclesiæ militantis]

Secundo, quia hoc decretum tanta solemnitate vestitum, et adornatum ad Reges, et Principes missum est; quos suis litteris paterne Summus Pontifex requirit, monet, et hortatur, ut in suis Regnis observantiæ Constitutionis impensius incumbant. † Quod ergo erit Sedis Apostolicæ decus, dum minus constans, ac sibi maxime dissimilis Ecclesiæ doctrina apparet, in legibus gravitatem, et honestatem morum statuentibus; et quod duo Summi

9 Pontifices, in re tam gravi, sedeant contraria sentientes.

[Margin: † ad cuius instantiam denuò liber iste fuit prohibitus, et interdictus a Principibus sæcularibus]

Tertio, quia Romæ omnimoda observantia, et exacta Constitutionis executio data est. Iudices Ordinarij, causa cognita, prout de iure aduersus delinquentes, ad declarationem super eorum incursu in sententiam excommunicationis, alijsque statutis pœnis procesere. Quis ergo non mirabitur ita facile inuerti posse iudicium, et quod id quod antea iuste iudicatum, et deffinitum est, ut iniustum debeat revocari; et quod lex illa, quæ fuit æquitatis, et iniquitatis regula; et obligatoria præceptio, iam non sit actionum nostrarum mensura.

10. Sed existit in contra non leue argumentum. Ratio expocere videtur, ut quoties

melius quippiam occurrit, toties lex humana mutetur; cum natura nostra ratio-
nalis ad differentiam Angelicae successive quadam sit veritatis indagatrix: ergo
expediens est, legem Apostolicam subimutari, cum revocatio quid melius afferat,
ut in praesenti accidit. Urget namque primò status Apostolici bonum pu-
blicum, qui, tali ludo Lotti extero prohibito, pluribus aureorum millibus frau-
datur; quare illo subditis permisso in ditione Apostolica, evitatur illud maxi-
mum inconveniens quod extrahatur è Statu grandis pecunia. Cessabit et
aliud gravissimum subditorum damnum, quos tam Receptores, quam Collecto-
res alterius ditionis illudere facillimè possunt, retinentes pecuniam sorte
ab ipsis comparatam, ex quo illam in iudicio repetere minimè possunt, vel
ne rei criminis commissi prodantur ipsi, vel quia ex ipsis à iure negatur
actio repetendi, iuxta dispositionem legis Ubi autem 3. ff. de condict. ob tur-
pem, vel iniustam causam, quâ dicitur: Ubi autem dantis, et accipientis
turpitudo versatur, non posse repeti, dicimus.

11. Ulterius, quia revocationem Constitutionis Benedicti XIII. exposcunt
pietas, et aequitas. Cum excommunicatio posita potius vergat in perniciem
quam in subditorum salutem, dum à pluribus contemnitur magis, quam
formidatur. Et quia nimis dira, rigurosa, et immerita poena videtur; quae
non ad arbitrium Principis indignati, sed solum in magni reatus ultionem
inferri debet, teste Innocentio III. in Cap. Sacro 2°. de Sentent. excom.
§. Caveat: Caveat autem diligenter, ne ad excommunicationem cuiusquam
absque manifesta, et rationabili causa procedat. Quod in memoriam revocat
Concilium Tridentinum Sess. 25. de reformat. Cap. 3. dicens: quamvis excom-
municationis gladius nervus sit Ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in
officio populos valde salutaris, sobriè tamen, magnaque circumspectione exer-
cendus est; cum experientia doceat, si temere, aut levibus de causis incutiatur,
magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salu-
tem. Quis ergo est reatus ille maximus, dum quis, non notabilem pecuniae
summam, sed exiguam ludo exponit, ut iuste à gratia Communionis recto
hominum iudicio exclusus habeatur? An et manifesta, et rationabilis causa

haberi potest ex ludo ab alijs Principibus Catholicis in suis Statibus permisso et approbato: ergo ut immerita pœna revocanda est excommunicatio; temperandusque immoderatus rigor; sicut crudele esset contra naturam peccatum, si Medicus in levibus morbis atrocissimo uteretur medicamine.

12. Accedit tandem, quod si quid deformitatis est in ludo isto, corrigi, et condecorari poterit, ut permittatur, et constituatur in Statu Apostolico; facta nempe reductione ad æqualitatem, et proportionem Geometricam aucto præmio ambiborum 12. et ternorum 80. pro 100. iuxta decisionem Congregationis habitæ sub Innocentio XIII. die 1a. Iulij anni 1721. et quod lucrum erogetur in causas pias; pars applicetur Ecclesiæ, vel publico pauperum hospitio; aut alijs Ecclesiæ utilitatibus iudicio Summi Pontificis poterit deservire; et altera remaneat ad emolumentum Rev. Cameræ Apostolicæ, penes quam erit mensa argentaria, necnon principalis assecuratio, ut nunquam, vel minimum periculum recipiat, et quæ semper de omni damno tenebitur. In quem modum nihil fraudis, scandali; aut iniustitiæ reperire est.

13. Verumtamen his non obstantibus asserta resolutio suam etiam inconcussam retinet veritatem. Licitum sane quandoque est, decens, et sanctum, legem humanam mutari; at non ob quamcumque causam melius quippiam afferentem mutanda est. Tunc prorsus continget, quando vel maxima, evidentissimaque utilitas ex nova lege proveniat. At dicant amabo, in quo excellet nova ista dispositio, vel quod damnum, detrimentumve compenset? Sive enim in ditione Apostolica, sive extra ipsam ludus sive stabiliatur, eadem semper ex hoc pernicioso, et exitiali ludo sequuntur inconvenientia,] eadem et patet via ad extractionem pecuniæ; cum ex hoc quod Romæ sit constitutus ludus, non alibi subditis interdictus maneat;] Hoc urget magis illud aliud inconveniens; si namque illicite ludens a Creditore pecuniam ludo victam repetere non potest, et in hoc pecuniâ fraudatus illuditur ab habente mensam pecuniariam, illusio deservit ad satisfactionem, et pœnam peccati; cum ut reprobetur ludus turpis, data sit talis lex, qua negatur ipsi actio repetendi; quare nulla ludenti emergit iniuria, aut gravis absurditas, quæ a lege non sit statuta, ut supra dicitur

] eadem nam que remaneret inæqualitas et iniustitia, cum pro periculo moraliter certo perdendi, vix ulla etsi levissima detur spes lucrandi. Eadem erit lucrandi cupiditas. Eadem eveniet subditorum status dilapidatio. Quæ Regiminis Prudentia præcavere poterit, quod ludentibus expertes sint criminis; quod non proveniant furta, sacrilegia falsitates, blasphemiæ de quibus satis superque dictum. Rursus.

] et si extra statum interdicitur, cur in hac Almâ Urbe erit permissus; cum ubi eadem est ratio; et eadem debeat esse disciplina

Etiam ex dictis soluta manent argumenta, quæ fiunt contra Constitutionem
Benedicti XIII. Cuius defectus boni fuit ut oporteret, serpentia auferre Reipu=
blicæ vulnera, et quod sanari non poterat, abscindere, ne prudentium ini=
quitate damnaretur ipse, quod subditos peccantes minus severa animad=
versione reprehenderet; ob oculos habens exemplum illius Summi Sacer=
dotis Heli, qui falsa pietate superatus, delinquentes filios ferire noluit
de quo scripsit S. Chrysostomus lib. 3. contra Vituperatores Vitæ mo=
nasticæ: namque et minas ille addere debuerat, et à suo eos conspectu
amovere, atque abdicare, etiam et verberibus afficere, multoque illis
gravius, et durius instare: quia igitur nihil horum egit, verborum tantum
monitis contentus fuit; et illis, et sibi ipsi Deum adversum, infensumque
constituit. Si ergo observantia Constitutionis in quibusdam deficit, qui nec
conscientiæ stimulis, nec debita Apostolicis mandatis obedientia con=
tinentur, non est sufficiens ratio, ut derogetur Constitutio. Lex enim recta
et prudens hoc intendit, ut supra ex D. Thoma diximus, quod commode
in pluribus vindicari potest; non ut omnia in omnibus cohiberi possint fla=
gitia; cum non conetur ad id quod perficere nequit, et est moraliter im=
possibile.

V5. Nec immoderatus potest dici rigor ille, quo rebelles mandatis Apostolicis
ad triremes mandat, aliis que pœnis gravissimis puniendos declarat; nec non
a communione Ecclesiæ separat. Hoc sacris canonibus decernentibus Can.
Hac Comona 25. q. 1. Can. Violatores 25. q. 1. Can. Si quis 25. q. 2. qui=
bus decernitur, quod si quis mandata, interdicta, vel decreta pro correc=
tione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione immi=
nentium, vel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præsule salubri=
ter promulgata contempserit, anathema sit. Ita sane est quod tres Iuli=
os exponere ludo secundum se materia levis est, nec mortale crimen;
at quis negare poterit, quod actus ille prout in tot ludentibus est summè per=
niciosus Reipublicæ; quare cum damnum totum simul magnæ æstima=
tionis est, inflictam censuram iustificat. Nec favet in oppositum, quod
ludus à Principibus secularibus permittatur; hoc sane nihil obest, cum

22 Non enim primò sugillari potest quod Lu=
dum istum sub pœna Excommunicatio=
nis maioris interdixerit. Audiant Ans=
aldum D. Decis. 95. n. 48. Ego adscitus
in quodam consessu, in quo tracta=
batur de obtruncando tandem hoc
monstro, seu vitio, suffragium dare
non detrectavi, quod duplex pharma=
cum adhiberem: alterum intrinsecum,
et spirituale Excommunicationis, et
suspensionis pro viris et mulieribus,
signanter Ecclesiasticis, cum super
re, in qua probabiliter cadere pecca=
tum valet, recte hæ pœnæ spiri=
tuales valeant infligi, probabile erat,
quod præsertim personæ Ecclesiasti=
cæ, et Regulares superaddita hac pœ=
na ultra pecuniarias, spiritum
affligente, et exercitium proprii
ordinis mortificante, Excommuni=
cationis nempe, et respective sus=
pensionis, ut par erat, abstiner=
ent. Quid ergo reprehensibile in
hoc facto. Cur dictis amariori=
bus exprobatur hæc Summi Ponti=
ficis dispositio cuius &

Enimvero iam sæpius Romæ sa=
nctissimâ undique ordinatione hoc
pessimum mercimonium, sub ista
triremium pœna prohibitum erat
die 13 Decemb. 1685. Die 24 Martii
1696. nec non aliis per contravenient=
ores ipso facto incurrendis pœnis.
Etiam Alexander VII sua Constit. quæ
incipit Pastoralis officii ad instantiam
Regis Philippi 3. pro Hispaniarum
Regnis, similem ludum, vel potius
perniciosum abusum prohibuit
et interdixit; quia nempe sponsio=
nes et promissiones sortitò fiebant
sub magnis pecuniarum summis,
et hac occasione superstitionibus,
aliis que modis illicitis, conscientias
graviter lædentibus ~~fiebant~~ ac Dei
servitio, bono que publico advers=
antibus uterentur. Cur ergo eadem
pœnâ in reos animadverti, non
iubere potuit Benedictus XIII?

Sit tam notabilis differentia inter Principatum Ecclesiæ, et Civilem. Princeps Secularis solum bonum temporale intendit. At Deus Summum Pontificem instituit, qui afflatu Spiritus Sancti Spiritualia administret, et ad Salutem animarum, et fidelium ædificationem Oculos semper intentos habeat: quare illud prohibet, et prohibere tenetur in quantum Spiritualium finis id exigit, et maxima Pastoralis officii solicitudo, ut fideles ad viam salutis, aspirante superni favoris auxilio dirigat, dum abusus pessimæ cupiditatis eliminat.*

Ad ultimum quod dicitur, responsio prompta est. Ex statuto augmento non condecoratur plene ludus iste; cum, si mea non me fallit opinio, non posita sit huius ludi deformitas in defectu solum æqualitatis [ex parte rei ludo expositæ] sed resplendet in defectu iustitiæ ex parte formæ se tenentis, et quod tot malignitatum, quibus [sit radix] exercetur, quarum permissio, aut approbatio ludi causa efficacissima dici potest. Non ulterius honestatur ex eo quod lucrum ordinetur in causas pias, eo quod in electione boni in finem honestum ordinati arridet simul finis honestas, et medij rectitudo, ut sapienter docet D. Thomas 2. 2. q. 22. art. 2: ad prudentiam, inquit ille, præcipue pertinere recte ordinare aliquid in finem. Quod quidem recte non fit, nisi et finis bonus sit, et id, quod ordinatur in finem, sit etiam bonum, et conveniens fini. Sed quia contingit aliquid secundum se esse bonum, et conveniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur, vel malum, vel non opportunum ad finem, ideo necessaria est circumspectio ad prudentiam, ut homo id quod ordinatur in finem, comparet cum his, quæ circumstant. En qualiter docet D. Thomas, quod nec sufficit, ut actus cadat sub dictamine prudentiæ, quod finis prætentus sit honestus, quod etiam id quod ordinatur ad finem sit secundum se honestum; sed quod medium ad illius consecutionem sit honestum. Quomodo ergo ludus iste, qui accipitur ut medium, et tot circumstantijs pravis illicitus, et inhonestus est, eligibilis erit a prudentia, quæ dicit carentiam deformitatis, ex quocumque capite malitia proveniat, etsi ordinetur ad causas pias? At si meum iudicium ullius est momenti, crederem, quod cum ludus iste iam sit a Sede Apostolica anathemate interdictus, atque magno eiusdem Sedis dedecore, non posse

* eliminat; ut scripsit Papa Julius Can. Officii nostri q. 1. officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ Religionis Zelus incumbit. Idem q. 1. legitur. Dist. 4. Cap. Quando 4. 3.

Hæc namque est maxima Summi Pontificis laus, Eccles. 50. v 4. curavit gentem suam et liberabit eam a perditione. Cornelius ibi: Laus ampla et propria Pontifici, quod scilicet curam magnam gesserit populi, ne in aliquod malum, vel periculum spirituale incideret. Pontifex enim subditorum pericula ac Pastor ovium curam gerere debet, et eos quæ a furibus tutari. Fures dixit, et furibus huiusmodi lusores comparat S. Bernardinus Senensis Dominica 5. Quadrag. Serm. 42. At et hoc ipsum quod prima fronte videtur efficax, nihil in gratiam ludi evincit; cum et a Principibus Secularibus prohibitus sit. De Republica Genuensi refert Peyrinus tom. 2. qq. Regul. tit. de Offic. Prael. Regul. q. 2. Cap. 3. n. 102. Dixi, nunquam licuisse; quia post Decretum novissimum Serenissimorum Collegiorum, sub die 20 April. 1627. certissimum est, non posse, neque Clericos, neque Moniales, sub mortali tali ludo ludere, ob gravissima et enormia scandala, et delicta quæ inde proveniebant, et est casus reservatus Ill.mo Archiepiscopo. Cum enim huiusmodi enormia et gravissima scandala, et delicta adhuc non cessaverint, sed in maiori forsan numero, et cum magis aggravantibus qualitatibus committantur a Lusoribus, merito aggravandæ sunt pœnæ; et sic Sæculare Collegium tale quondam edidit decretum, et tunc temporis Archiepiscopus inter peccata sibi reservata enumeravit huiusmodi ludum; signum evidens est, quod verificatur in praxi gravis offensa Dei, et consequenter sufficiens materia pœnarum Ecclesiasticarum. Rursus interdictus et prohibitus est in Regnis Galliæ, Hispaniæ, Sabaudiæ Ducatu, Sardiniæ, quorum Principes, in quibus ad bonum status pertinent, opportune providere non ignorant.

Quod namque R. Cameræ decus erit
aut emolumentum, quod peculium
pauperum et miserrimorum subdito-
rum convertatur in bonum ipsius.
Quod ut ditiores fiant aliqui Romæ
gravissimum penuriæ damnum reli-
quum Status Ecclesiastici sentiat. Hoc sane vel eo
quæ de seipsa verissime ~~dicere potest~~ hucusque dixit
~~et de qua maxime verificare debet~~ dicenda
illud Tobiæ. Cap. 3. v. 17 Nunquam cum
ludentibus miscui me. et illud Jerem.
Non sedi ~~cum~~ in concilio ludentium
Cap. 15. n. 17. Non est cur hodie
approb~~...~~ ante ipsa R. Cameræ
illudum celebret, qui vix absque mo-
dis illicitis, Conscientias graviter
lædentibus, ac Dei servitio, bono que
publico adversantibus exerceri potest.

18 [Hoc sane vel eo solo titulo omittere] Rev. Cameram mensam argentariam suscipere, ne maledicorum invidia prop-ter lucrum moraliter certum, factum Calumnijs impetat; quod nempe huma-na verum temporalium avaritia fuit huius ludi approbationis inventrix; cum minus æstimanda sit temporalis substantia, et pluris præfulgens Sedis Apostolicæ dignitas, cuius mundities exiguæ imperfectionis nec atomum aut umbram pati possit, aut debeat. Scio quantum ære alieno oppressa sit Rev. Camera; sed nec in temporalibus bonis quærenda est ab illa felicitas, nec in illis, Deo favente, timenda infelicitas. Ita censeo, quod subeat Sedis Apostolicæ Censuram, nec non aliorum Sapientium, pru-dentius iudicantium, limam. Datum Romæ in Conventu S.tæ Mariæ super Minervam die 11. Septembris 1731.

Fr. Cayetanus Benitez de Lugo

Faltan los ff. 19 y 20

476

Faltan los f. 19 y 20